

non dicitur, qualis ea fuerit aut ex quibus constituta, nisi quod<sup>81</sup> dicit: *Eum qui contentiosus et ambitiosus est secundum Laconicam constitui.* Itaque nullo modo hinc exponi potest optimam illam in hanc transire Laconicam; neque, etiamsi exponere quis conaretur, recte ex Aristotele posset, qui Laconicam constituisse affirmat ex aristocracia, oligarchia, democratia ac regno. Nullum autem vestigium vel regni vel democratiae in optima illa mutata [357] appetet ex Platone.

Sed quod postea Aristoteles alia accusatione accusat praecoptorem.<sup>82</sup> *Adhuc tyrannidis non dicit neque an futura sit mutatio, neque an non sit futura.* Quid tum postea? Non fuerat propositum Platoni omnes rerum publicarum ibi mutationes persequi. Sat habuit optimae quam formandam suscepere, etiam mutationem exponere. Si tyrannidis aut aliarum non exposuit, quid tum? Neque ulla est causa, cur dicat Aristoteles:<sup>83</sup> *Quando secundum illum oportet in primam ac optimam, quomodo id secundum illum dici potest, cum ille ne innuit quidem quicquam tale.* Nec scio an vere dici ab Aristotele possit tyrannidem in tyrannidem mutari, sicuti Sicyonia ex Myronis tyrannide in tyrannidem Clisthenis. Sic enim persona, non forma regiminis mutatur.

Quod vero postea ait, quomodo carpit:<sup>84</sup> *Absurdum quoque est putare in oligarchiam ob hoc mutari, quod cupidi divitiarum sint principes, quando etiam ipse reprehensor ὄρον ὀλιγαρχίας terminum oligarchiae divitias faciat, sed non quia:*<sup>85</sup> *Multi abundantes divitiis non putant iustum esse eos, qui nihil possideant, aequo participes esse*

<sup>81</sup> τὸν φιλόνικὸν τε καὶ φιλότιμον, κατὰ τὴν Λακωνικὴν ἔστωτα πολιτείαν. [PLATO, R. 545.a.2 – 3]

<sup>82</sup> ἔτι δὲ τυραννίδος οὐ λέγει οὔτε εἰ ἔσται μεταβολὴ οὔτ', εἰ μὴ ἔσται. [ARIST. Pol. 1316a.25 – 26]

<sup>83</sup> ἐπεὶ κατ' ἐκεῖνον δεῖ εἰς τὴν πρώτην καὶ {τὴν} ἀρίστην [ARIST. Pol. 1316a.28]

<sup>84</sup> ἄτοπον δὲ καὶ τὸ οἰεσθαι εἰς ὀλιγαρχίαν διὰ τοῦτο μεταβάλλειν ὅτι φιλοχρήματοι καὶ χρηματισταὶ οἱ ἐν ταῖς ἀρχαῖς. [ARIST. Pol. 1316a.39 – b.1]

<sup>85</sup> οἱ πολὺ ὑπερέχοντες ταῖς οὐσίαις οὐ δίκαιον οἴονται εἶναι ἵσον μετέχειν τῆς πόλεως τοὺς κεκτημένους μηδὲν τοῖς κεκτημένοις. [ARIST. Pol. 1316b.1 – 3]